

# ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

ALBERTO MARCHIONI BRANDENBURGENSI,

*Duci Prussiae, Stetini, & Pomeraniae, &c. Burggraui Noriber-*

*genfi, Domino suo clementissimo; Erasmus Rein-*

*hold Saluendensis, Mathematicum*

*Professor. S. D.*



Vanquam hæc admiranda sapientia, quam doctrina de numeris, proportionibus, figuris, mensuris, & motibus cœlestibus continet, nulla humana voce satis laudari potest, tamen in alijs libris, qui ad vsum discipulorum initia Mathematicum editi sunt, prolixius de dignitate & utilitate harum artium dixi, vt iuniorum studia vtcunq; accenderentur, seu certè, vt præmuniatur iuniores contra Cyclopicos sermones eorum, qui has artes stolidissimè contemnunt, nec vident eas esse & sapientiæ diuinæ radios transfusos in hominum mentes, & illustria ac firma testimonia de Deo, & de prouidentia, & necessaria vitæ adminicula. Necesse est enim, & propter gloriâ Dei, & propter utilitates ingentes communis vitæ, extare de his tantis bonis, veras commonefactiones, & constantissimè reprehendi furores eorum, qui cum hanc doctrinam aspernantur, simul Deum contumelia adficiunt, & nocent communi hominum vitæ. Sed quia hoc opus non editur tyronibus, hinc omissa illa commemoratione, tantum gratias agam, primùm Deo autori & conseruatori harum artium, deinde & tibi Princeps Alberte, qui & hanc doctrinam propagari curas, & nostros labores tua liberalitate adiuuas. Itaq; vt honorem debitum Deo tribuam, adfirmo id quod verissimum est, totam hanc sapientiam, doctrinam numerorum, mensurarum ac motuum cœlestium, lucem esse diuinitus sparsam in

α 3 homi